



enim de ejus auctoritate dubitarunt; sed jam postquam auctoritate Sedis apostolicæ illud Concilium est recognitum, et inter Concilia Ecclesiæ computatum, et epistola Adriani longa disputatione Romæ habita, tamquam authentica approbata, et inter decretales inserta, non licet dubitare, quia non alia auctoritate reliqua Concilia, et epistolas pontificum, decretales, imo et libros canonicos sacræ Scripturæ recipimus, et approbamus, nisi auctoritate Sedis apostolicæ, ut taliter recipiendos declarante.

VI. Secundum est, quod Concilium hoc astutia hæreticorum, per multa tempora latuit, postea diligentia Suri repertum fuit; et eo tempore, quo latuit, doctores scholastici, qui filiationem adoptivam in Christo docuerunt, non sunt judicandi in hæresim incidisse, ut Scotus, et Durandus, et alii; quia pro tunc non constabat de Concilio; alios vero qui contendunt hanc sententiam his temporibus defendere, etiam in tertio sensu non auderem excusare.

VII. Igitur Concilium, quod habetur tertio tomo Conciliorum, quantum ad præsens punctum attinet, quatuor tractatibus constat. Primus est epistola Adriani in qua respondet libello Elipandi, quem pontifex pseudosyllabum appellat; secundus est liber sacrosyllabus approbatus in eodem Concilio: quamvis de auctore ejus, an sit Paulinus episcopus Aquileiensis, an ipse, et alii, non sit convenientia inter auctores, verum est, quod columna prima, Paulinus, ut disputans, nomine aliorum loquitur: tertius est epistola Concilii ad episcopos Hispaniæ, in qua verbatim referuntur plures clausulæ libelli Elipandi, et damnantur: quartus denique est epistola imperatoris, qui Elipando remittit damnationem sui libelli a

Concilio factam. Ex his adducemus testimonia sigillatim contra singulos sensus explicandos. Alia vero, quæ pertinent ad triplicem damnationem erroris Elipandi, et ad historiam, videantur in Vazquez, et Lorca, qui de hoc late scripserunt. Nos pro brevitate materiæ illa omitimus.

VIII. De sensu Photini, et Nestorii breviter patet. Columna enim tertia in libro sacrosyllabo dicitur: « Asserunt Jesum Christum adoptivum Dei filium hæc igitur dicentes, aut certe purum eum hominem sine Deo natum, quod cogitari impium est, necesse est fateantur. » Hæc est adoptio in sensu Photini ponentis Christum purum hominem sine Deo. De Nestorio vero Adrianus in sua epistola columna quarto sic habet: « Siquis adversus divinas Scripturas docet, alium dicens Filium Dei, et alium, qui ex Maria Virgine, hominem secundum gratiam adoptivum, sicut nos, quasi essent duo filii, hunc anathematizat sancta, et apostolica Ecclesia. » Sic ex Athanasio, et prosequitur paulo inferius pontifex: « Si quis introducit duos filios, unum quidem, qui ex Patre, secundum vero, qui ex matre, alienum eum a nostro consortio judicamus. » Similia habentur in libro sacrosyllabo columna octava: « Non duo filii, ut sicut illi errando existimant, adoptivus sit filius hominis, et sine adoptione Filius Dei. » Et denique in epistola Concilii columna xv dicitur: « Nonne hæresis vestra in Nestorio ab universali sancta Ecclesia refutata, etiam et damnata est? » Ubi clare sensus Nestorii damnatur. Nec valet, quod Vazquez dicit, quod a Concilio dicatur hæresis Elipandi nova, quia etiam dicitur antiqua, et ex veteriosa radice reviviscere, tamquam nova, ut articulo ultimo circa paritatem de servitute adducemus.

IX. Igitur his omissis punctus difficultatis consistit in hoc, an sensus Durandi, et Scoti sit damnatus, propter modernos, qui contendunt non esse damnatum.

X. Sit prima conclusio: Dicere, quod Christus in quantum homo sit filius adoptivus, si ly in quantum reduplicet humanitatem, ut sensus sit, quod Christus ratione humanitatis, vel secundum humanitatem est filius adoptivus, damnatur a Concilio.

XI. Quatuor sunt testimonia in Concilio, quæ hanc conclusionem expresse probant inter alia multa, quæ satis illam indicant: sed illis omissis hæc quatuor solum adducemus. Primus est in epistola pontificis, ubi columna secunda, sic habet Adrianus: « Materia autem causalis perfidiæ inter cætera rejicienda, de adoptione Jesu Christi Filii Dei secundum carnem, hoc catholica Ecclesia nunquam credidit, nunquam docuit, nunquam male credentibus assensus præbuit: » ubi damnatur adoptio Filii Dei secundum carnem.

XII. Secundum testimonium non minus expressum est in eadem epistola columna nona, ubi inquit pontifex: « Animadvertite, quia nihil vobis restat, ut secundum divinitatem tantummodo credatis, dixisse Patrem: Hic est Filius meus; sed potius secundum humanitatem, super quem Spiritum sanctum dicitur descendisse, » ubi pontifex evasionem modernorum excludit ibi: « Ut secundum divinitatem tantummodo credatis, sed potius secundum humanitatem, est filius naturalis, » quod significant verba Patris dicentis: Hic est Filius meus, in expositione Adriani, ut non solum secundum divinitatem habeat filiationem naturalem, sed etiam secundum humanitatem.

XIII. Tertium testimonium est ex libro sacrosyllabo, ubi columna sex-

ta, sic habetur: « Petrus confessus est Christum verum Filium Dei vivi, et tu hæretice dicis: Christus adoptivus filius est: fingeres forsitan, ut diceres, secundum divinitatem eum Filium Dei confessus est, sed quoniam cum additamento dixerat: Tu es Christus Filius Dei vivi, omnium hæreticorum ora, fidei pugno attrivit; Christi namque nomen ab homine, quem assumpsit accepit: » ergo non solum secundum divinitatem, sed secundum humanitatem, quam assumpsit fides Petri declarat Christum filium naturalem.

XIV. Quartum denique est ex epistola Concilii ubi columna quarta, circa auctoritatem Augustini, quam Elipandus sinistre intellexit, inquit Concilium: « De Christo dixit (scilicet Augustinus) unicus natus, de nobis vero homo adoptatus, quam adoptionem pravissimo sensu, qui scripsit epistolam, ad Christi voluit transferre humanitatem, » ubi adducitur differentia, quam posuit S. Augustinus inter Christum, et nos, quod Christus erat Filius unicus, in nobis vero homo adoptatus est, et Elipandus adoptionem referebat ad humanitatem Christi, et istum sensum Concilium vocat pravissimum, et simul damnat: ergo contra Concilium est dicere, quod Christo conveniat adoptio secundum humanitatem.

XV. His quatuor testimoniis, quæ cum reduplicatione secundum humanitatem loquuntur, placuit addere aliud, quod quamvis in locutione absoluta, tamen in omni sensu, damnat adoptionem Christi; habetur in libro sacrosyllabo columna tertia: « Asserunt, sed falsis assertionibus irretiti, Dominum nostrum Jesum Christum adoptivum Dei filium de Virgine natum. Hæc igitur dicentes, aut in utero Virginis eum suspicantur adoptivum, quod dicere nefas est. » Dicant ergo moderni quan-

do adoptatus est Christus secundum humanitatem; non antequam esset in utero, quia tunc non erat homo; ergo in utero, vel postquam exivit de utero: ergo in utero non habuit gratiam, vel non fuit adoptatus per gratiam; utrumque est contra rectam theologiam, restat, dicant in utero; hoc, inquit Concilium: « Dici nefas est. »

XVI. Secunda conclusio: Adoptio tributa humanitati Christi damnatur expresse in hoc Concilio, quamvis non dicatur filia. In hac convenit Vazquez, sed est contra Suarium, quatenus contendit, quod in hoc sensu non damnatur adoptio, et est contra scholasticos antiquos supra relatos, qui affirmant humanitatem esse adoptatam. Pro hac conclusione triplex est testimonium in Concilio.

XVII. Primum testimonium in libro sacrosyllabo columna tertia, ubi sic habetur: « De Beata Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit carnem. » Non indiget ponderatione.

XVIII. Secundum testimonium est in epistola Concilii, etiam columna tertia, ubi sic habetur: « Hoc quod Joannes dixit, vidimus gloriam ejus gloriam quasi Unigeniti a Patre, contra adoptionem carnis facit. » Si verba evangelii faciunt contra adoptionem carnis, adoptio carnis in Christo contra evangelium est, juxta mentum Concilii.

XIX. Tertium testimonium habetur in eadem epistola columna septima sic: « Sequitur in epistola vestra (scilicet Elipandi) nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus, scimus quia cum apparuerit similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est, similes utique in carnis adoptione, non similes in divinitate. » Hæc verba refert Concilium ex Elipando, et impugnat ea, quantum ad duo. Primo, quantum ad illam con-

junctionem: et videbimus dicendo cum Augustino, quod legendum est causaliter quia videbimus, et secundo, quantum ad illud: *In carnis adoptione*, et ideo inquit: « Hujus vero sententiæ, scilicet (nunc filii Dei sumus, etc.) intellectum longe aliter catholici patres exposuerunt; » et tandem concludit contra similitudinem in carnis adoptione: « Quis enim dementissimus dixerit corpore nos vel esse, vel futuros esse similes Deo? » Ubi similitudinem in carnis adoptione positam ab Elipando, tamquam dementiam excludit.

XX. Ad hoc solum possunt respondere, quod non est idem adoptio carnis, et adoptio humanitatis, et quod solum damnatur adoptio carnis, et non adoptio humanitatis.

XXI. Sed hæc evasio frivola est, quia quando dicitur caro, vel adoptio carnis, intelligitur caro animata, et caro animata est humanitas; tum, quia in illis verbis: *Verbum caro factum est*, ly caro non intelligitur nisi animata, et idem est ac dicere: Homo factum est Verbum; alias esset incidere in errorem dicentium, quod Verbum solum assumpsit corpus et non animam; tum, quia in primo testimonio pro hac conclusione allato, eodem modo affirmatur assumptio, et negatur adoptio carnis; sed in assumptione carnis affirmatur assumptio humanitatis, quia secundum fidem humanitatem assumpsit; ergo negando adoptionem carnis negatur adoptio humanitatis. Quod clare indicatur in eodem libro sacrosyllabo columna nona, ubi sic dicitur: « Non enim ignoramus ex duabus substantiis humanam subsistere naturam, et unum sine alio perfectum non efficere hominem; quid enim est caro sine anima, nisi terra? Quid anima sine carne? Nonne spiritus? Homo enim ex utroque. Vide,

quia redemptor noster perfectum hominem assumpsit: » ubi constat quod nunquam est sermo de carne sola, sed de carne animata, quæ est humanitas; tum denique, quia si humanitas adoptatur, caro adoptatur in illa, quia est passio illius et si caro non adoptatur, neque humanitas adoptatur, quia non stat humanitas sine carne.

## ARTICULUS III.

*Rationibus theologice deductis ex Concilio impugnatur filiatio adoptiva Christi secundum humanitatem, et adoptio humanitatis.*

I. In hoc articulo non intendimus impugnare nisi duos sensus in titulo positos, juxta duas conclusiones articuli præcedentis, quia de istis est controversia his temporibus, et inventa jam veritate lumine fidei per diffinitionem allatam articulo præcedenti, securi incedimus impugnando opinionem contrariam, et ejus falsitatem, et improbabilitatem ostendendo rationibus theologice, quibus Concilium conclusit diffinitionem contra illam. Non possumus omnes adducere, quia excedunt capacitatem materiæ; quinque eligimus pro prima conclusione, quæ principalior est.

II. Prima ratio ad probandum, quod Christus non est filius adoptivus secundum humanitatem, sic ponitur ab Adriano in sua epistola columna quinta: « Nam sicut peccata nostra non tollerent si ipse peccatum haberet; ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit, egerit ut gratiam adoptionis acciperet. » Quæ sic potest formari: Christus meruit nobis adoptionem; ergo non habuit illam. Probatur

consequentia, quia si haberet illam, non posset mereri illam nobis. Quæ consequentia probatur a paritate: Si haberet peccatum, non posset tollere peccata nostra, quod est certum; tum, quia existens in peccato non posset mereri; tum, quia etiam post remissionem peccati illi factam, non haberet virtutem, ut aliis mereretur remissionem peccati, quia de illo judicandum esset, sicut de aliis hominibus, qui peccaverunt juxta doctrinam D. Thomæ 1-2, quæst. cxiv, art. ii.

III. Si dicatur, quod consequentia instatur; tum, quia Christus habuit gratiam habitualement, et tamen illam nobis meruit; tum, quia habuit gratiam prædestinationis, ut questione sequenti dicitur, et tamen meruit prædestinationem nostram

IV. Contra hoc est, quod nostra ratio debet sumi in terminis formalibus sic: Si Christus haberet gratiam adoptionis, deberet habere illam juxta illius naturam, hoc est, gratiose collatam, et non connaturaliter debitam, quæ est essentia adoptionis, ut alia ratione probabitur, et in hoc sensu tenet paritas: Si Christus habuisset peccatum etiam post remissionem illius, non posset mereri nobis de condigno remissionem peccati, sed solum de congruo, quia ille egebat remissione gratiosa sui peccati in illo casu; ideo non poterat mereri de condigno remissionem gratiosam peccatorum nostrorum, sed solum de congruo, scilicet fundato in gratia: ergo si habuit gratiam adoptionis gratiose, non potuit mereri de condigno nobis gratiam adoptionis, sed solum meritum de congruo, sicut alius sanctus.

V. Unde prima instantia deficit, quia Christus non habuit gratiam habitualement gratiose collatam, sed connaturaliter debitam ex vi unio-